Programm

des

Großherzoglich Hessischen Gymnasiums

zu

Gießen,

als Einladung

zu den am 10. und 11. April 1867

stattfindenden öffentlichen Schulprüfungen.

[Wissenschaftliche Beigabe: De particula quum scripsit J. H. Hainebach.]

Gießen, 1867.
Druck von Wilhelm Keller.

Nulla est linguae latinae particula, cujus usus sit frequentior magisque varius, nulla, quae et docentibus et discentibus plus exhibeat difficultatis, quam particula quum. Eaque ipsa causa est, cur rem toties ab aliis tractatam recolere coner. Fortasse mihi continget, ut difficultates vel obscuritates aliquas levem vel tollam, idque satis magnum mihi pretium erit laboris sero suscepti.

Primum dicam de forma et vi particulae, deinde de usu ejus syntactico.

Non potest dubitari, quin forma ejus antiquissima quom fuerit, unde postea quum vel cum factum sit. Id praecipue cognoscitur ex inscriptionibus latinis, quarum vetustissimae constanter quom servant. Cf. Mommsen Inscr. Lat. Tit. 196, 9 18; 198, 32 70 71; 200, 53 63 79 87 88; 205, 1 18; 206, 1 15 117 151 161. Ut quom, ita etiam quomque, adjectum ad pronomina relativa, in illis vetustissimis inscriptionibus se ostendit : Queiquomque i. e. quicunque 197, 5; 200, 50; 202, 2 19 22; 205, 2, 53; 206, 17 98 151; quei quomque, cum intervallo scriptum, 198, 68; 200, 8 33 35 84; 205, 2 14; quae quomque 198, 67; quemquomque 206, 32; quem quomque 603, 10; quod . . . quomque 205, 1 2; quo quomque (abl.) 205, 2, 2; quei quomque (plur.) 198, 4 6 47; queiquomque 200, 28; 203, 6; 206, 51 83; quos quomque 202, 2, 7 10; quibus quomque 198, 68; quoquomque (adv.) 205, 1, 16; quo quomque 206, 44. Primum cum exsistit in lege Julia municipali (tit. 206), quae cadit in annum 709 U. C., ubi legitur (150) „tum, cum ea res consuleretur", et praecedens tum prima causa illius immutationis fuisse videtur.

Forma cume, quae est in carmine Saliari (Bergk p. 12), certe vetustate quom non aequat. E videtur affixum esse, ut in tame (Fest. p. 360 Müll.); quomodo autem sit explicandum, ego non magis certe scio, quam alii. Id autem memorabile est, tale e adjectum habere etiam umbr. pune (Aufrecht et Kirchhoff 1, p. 161) et german. hwanne (Graff 4, 1201), quae et forma et sensu latino quum respondent.

Utra scriptura, quum an cum, nobis sit praeferenda, difficile est dijudicatu. Quae veteres grammatici inter se repugnantia de ea re dixerunt, conferre nolo. Cujus ea scire interest, summam eorum in L. Schneideri grammatica latina 1, p. 337 inveniet. Equidem probo quum, quod non solum legentium commodum suadet, qui eo, ne illud cum praepositione cum misceant, prohibentur, sed vocabuli origo et analogia, quae ab eo, qui cum scribit, postulat, ut idem scribat

anticus pro antiquus, grandilocus pro grandiloquus, locor pro loquor. Praeterea Ciceronem, quem ducem sequi consuevimus, non cum scripsisse et pronuntiasse existimo. Id quidem praeter alia locus in ejus epistola ad Att. 6, 1 § 13 indicare mihi videtur : Haec non noram tum, quum cum Democrito tuo locutus sum. Persuadere mihi non possum Ciceronem dixisse : Tum, cum cum Democrito tuo locutus sum. Quid? si nostras scriptor mediocris, nedum egregius, dicat : Er handelt mehr als Freund, als als Gebieter. Quis Francogallus dicat : Je ne dis que que vous êtes imprudent. Incommodum illud senserunt complures viri docti, in quibus Orelli et Baiter, hique verba sic collocaverunt : Haec non noram tum, cum Democrito tuo cum locutus sum. Istud vero remedium pejus est malo. Neque enim fieri posse credo, ut in prosa quidem oratione quum, si ad praecedens tum pertinet, a primo sententiae loco demoveatur. Praeterea obliviscendum non est, primum cum non ante annum 709 U. C. apparere et in illa ipsa lege Julia municipali ter quom esse scriptum. Confer etiam Corssen Ausspr. 1, 35.

Vetusta monumenta primam formam quom repraesentare vidimus. Quom esse antiquius quam quum vel cum, etiam ex hoc potest colligi, quod in lingua latina o in u, non u in o transit. Alia quoque argumenta afferre possum, sed ut leviora et non necessaria omitto. Quod si quom forma primitiva et hinc progrediendum est, prima oritur quaestio, quid illud quom sit. Hujus aetatis homines docti, qui quidem talium rerum periti intelligentesque sunt, ad pronomen relativum id esse referendum consentiunt. De ejus natura autem partim omnino tacent, partim, ut Krüger (Gramm. Lat. p. 790 a. 1), tantum dicunt esse accusativum, alii, in quibus vir de grammatica latina optime meritus, Ferd. Schultz (Gramm. § 229 a. 3, ed. 4) esse accusativum generis neutrius, Corssen (Kr. Beitr. p. 292) et Bücheler (Lat. Decl. p. 26) ei locum accusativi generis masculini attribuunt. Ex quibus omnibus nemo sententiam suam accuratius explicavit, praeterquam quod Corssen l. c. pauca verba addit, quae mihi quidem non probabilia videntur. Exstiterunt etiam aliae opiniones, quarum duas attulisse satis erit. Max Schmidt in praestanti commentatione de pronomine graeco et latino p. 96 de cum, tum, dum, num dicit, in um syllaba temporis significationem esse; Doederlein jocari videtur, quum dicit (Etym. p. 50) : „Cum, quom, da, als — Apocope von *κότε* jonisch statt *πότε*.“ Talia memorare vix operae pretium est.

Omnibus accurate diligenterque consideratis pro certo statui posse arbitror, quum esse accusativum pronominis relativi. Ea tantum quaestio relinquitur, utrum sit accusativus generis masculini an neutrius. Hoc si esse potest, omnis difficultas evanescet, quoniam primum, postremum, ultimum nihil differant. Sed vereor, ne fieri non possit. Etenim vera et primitiva pronomina, nominatim demonstrativa et relativa, nominativum et accusativum gen. neutr. non syllaba um formant, sed litera d, velut id, illud, istud, quod, quid. Si quis putet, neutra ipsum et hoc ei regulae non convenire, fallitur. Illud enim compositum est ex is et pse, et declinatio antiquitus in fine prioris partis facta est, cujusmodi exstant formae eumpse, eampse, eopse, eapse, unde reapse i. e. re eapse = re ipsa. Ex quibus neutrum primitivum idpse licet conjicere, quod tamen ingenio linguae latinae repugnat, et, si unquam usurpatum est, in ipse mutatum esse veri simile est, sicut idem masc. et neutr. pro isdem et iddem. Haud dubie igitur neutrum ipsum iis temporibus ortum est, quibus Romani illius regulae non magis meminerant, quam dualis numeri, qui est in duo et ambo quique accusativi formas duos, ambos pro duo, ambo revera respuit. De nominativo hoc autem sic se res habet. Hic ortum est ex hi et additamento demonstrativo ce, atque hice, quae forma in locum falsae hicce (cf. Ritschl Proleg. Plaut. p. 102) ubique substituenda est, saepissime repperitur, praecipue in vetustissimis inscriptionibus (cf. Ritschl Mon. Epigr. tria p. 16). Ergo hic, haec, hac amiserunt e finale et sunt pro

hice, haece, hace, sicut dic pro dice, fac pro face. Haec mihi consideranti simulque pronomen relativum, quod, ut infra accuratius exponam, omnino cum demonstrativo hic convenit, respicienti dubium non est, quin nominativus gen. neutr. in principio hod-ce fuerit, respondens relativo quod, et deinde, quum hodce ferendum non esset, in hocce transierit, ut adcedo in accedo, et postremo, e abjecto, in hocc vel potius hôc, quoniam in fine vocabulorum eadem consonans bis poni non potuit. Ita simul causa apparet, quare hoc longum habeat o. Est autem eadem, quae es, profectum ex eds, ess, produxit. Ex qua ratiocinatione sequitur etiam, ut, quum hice, haece uno c, hocce tamen duplici scribendum sit. *) Quod autem de hoc dixi, idem valet in istoc istuc, illoc illuc, quae tamen nullo modo ex istud hoc, illud hoc, sed, ut hoc ex hod-ce, ita ex istod-ce istud-ce, illod-ce illud-ce nata sunt. Istic enim et illic composita sunt ex iste et ce, ille et ce, istece autem et illece eadem lege in istice, illice mutata sunt, qua hicene in hicine, undeque in undique, indedem in indidem, postea istice, illice, quae formae antiquitus in usu fuerunt (cf. istace apud Cat. R. R. c. 132) e abjecerunt similiter atque hice.

Jure igitur affirmare possum, nullum pronomen primitivum esse, sive relativum sive demonstrativum, cujus nominativus et accusativus gen. neutr. illo d careat. Neque igitur quum hunc locum occupare poterit. Itaque nihil aliud relinquitur, quam ut accusativum generis masculini id esse statuamus. Idem vult pronomen relativum, quod in omnibus formis cum demonstrativo hic congruit. Hujus autem accusativus gen. masc. antiquissimo tempore fuit hon-c pro hom-c idque exstat in altero Scipionum titulo sepulcrali (Ritschl Tab. 28). Respondent igitur inter se quom et honc i. e. hom-c, quum et hun-c i. e. hum-c et hac sola re differunt, quod alterum vim accusativi servavit, alterum in adverbii usum transiit itaque viam aperuit formae quem, quae una nihil simile in pronomine demonstrativo hic habere videtur. At, nisi animus me fallit, hanc lacunam explet interjectio demonstrativa hem eique vindico sensum adverbii hic (hier, jetzt, nun), eundem quem francogallicum çà habet et etiam nostrum da, quod et ipsum modo adverbium modo interjectio est. Simile est em, vetustus accusativus pronominis is, quem Festus (p. 76, 77 ed. Müll.) non modo pro eum, sed etiam pro tum usurpatum fuisse tradit. Id convenit etiam in alteram hujus accusativi formam im, quae est in inter-im (cf. inter-ibi) quaeque in lingua Osca, ubi ex im factum est in (Mommsen Osc. Stud. p. 43), non modo significat eum, sed etiam et, proprie, ut mihi videtur, tum (cf. tum — tum pro et — et). Si quis autem mihi objiciat, quem et em se applicare ad nominativos quis et is, neque tamen hem ad nominativum his, ei concedo, formam illam quidem non repperiri, sed est conjicienda. Nominativum his enim postulat hibus, qui dativus est apud Plautum Curc. 506 (cf. Varro L. L. 8, 38 72; Neue Lat. Formenl. 2, 150), postulat etiam pronomen relativum et interrogativum, cujus nominativo quĭs, quî respondet hĭs, hî-c, quod est pro his-c et vocalem productam habet propter s amissum, sicut quî et îdem. Haec si recte disputata sunt, hi-c et qui easdem accusativi formas genuerunt, hon-c, hun-c, hem; quom, quum, quem, quae tamen formae diverse adhibitae sunt.

Quanta sit similitudo declinationis pronominum hi-c et qui, demto illo c demonstrativo, et juvabit oculis cernere et rei ipsi, de qua hic agitur, commodo erit. Quam ob rem utriusque pronominis singulos casus conferam.

---

*) Quod in Sen. Cons. de Bacanalibus hoce (cf. Goettling 15 Röm. Urk. p. 28, vers. 26) uno c scriptum est, sententiae meae non repugnat. Etenim in illo edicto nulla omnino litera geminata est.

hi-c	hae-c	ho-c pro hod-c	qui	quae	quod
	hujus			cujus	
	hui-c			cui	
hon-c pro hom-c hun-c „ hum-c hem	han-c pro ham-c	ho-c pro hod-c	quom quum quem	quam	quod
ho-c	ha-c	ho-c	quo	qua	quo
hi	hae	hae-c	qui	quae	quae
horum	harum	horum	quorum	quarum	quorum
	hîs hibus			quîs quibus	
hos	has	hae-c	quos	quas	quae

Quom sive quum esse accusativum generis masculini, etiam ex correlativo tum potest judicari, quod et ipsum accusativus generis masculini est, conveniens cum graeco *τόν* et servatum in altera parte accusativi is-tum. Neque enim dubitari potest, quin iste, immutatum ex vetusto istus, duo pronomina demonstrativa contineat, is et tus, quorum alterum graeco *τος* in *οὗ-τος, αὐ-τός* et articulo vel potius demonstrativo *ὁ* respondet, qui nominativus aperte, *τ* in *σ* et deinde in spiritum asperum converso, a *τος* degeneravit, sicut *οἱ* a *τοί*, qua forma Homerus aliique usi sunt. Quod autem prior illius pronominis pars non flectitur, non magis mirum est quam in alteruter gen. alterutrius *), jedermann gen. jedermanns (cf. dissertationem nostram anni superioris p. 17 n.)

Argumentationi meae de quum et tum succurrunt etiam gothica adverbia hvan et than, hodie wann sive wenn et dann. Ea enim plane congruunt cum illis et pariter accusativi singul. num. generis masculini sunt (cf. Grimm. Gramm. 3, 165 181).

Jam vero quaestio oritur, quemadmodum accusativus quum sit explicandus intelligendusque. Propriam ejus significationem pono quo tempore, ubi, cui respondet demonstrativum tum i. e. eo tempore, ibi. Eadem inest in nostro wann sive wenn, ut modo dixi. Primordio autem illud, sicut ubi, notionem loci continuisse veri simillimum mihi videtur. Eo spectat etiam unde, compositum, id quod manifestum est in si-cunde, ne-cunde, ex quum et correpto de, similiter atque inde, de cujus priore parte, accusativo im, supra dixi. Ut igitur inde et dein et exin sive exim (cf. Rh. Mus. 7 p. 475) significant davon, von da, ita unde est wovon. Ejusmodi accusativi sunt etiam aliunde, alicunde. Nostrum quoque wannen, ahd. hwan-an

---

*) Huc pertinet etiam aliquis, quod compositum est ex vetusta forma alis et quis. Ejus significatio primitiva saepe adhuc se ostendit. Cic. ad Herenn. 2, 17 § 25 Si nulla aut a nostris civibus aut ab aliqua civitate vituperatio ex ea re suscipietur. Id. Cat. 1, 8 § 20. Quae quum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam, multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare? Id. Brut. 90 § 310 Commentabar declamitans . . . saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompejo aut cum aliquo quotidie. Id genus alia sunt in Reisigii schol. edit. ab Haase p. 338. Illam vocis originem et significationem agnoscere nolle, vis mihi videtur et arbitrium. Injuste igitur Haase refragatur Reisigio, qui eam ascivit. Qui autem repugnat, propterea quod dicitur aliquis alius, alius aliquis, eum interrogo, num particulam etiam neget coaluisse ex et jam, propterea quod dicatur et etiam, jam etiam? Atque argumentum afferre possum, quod, ut spero, rem decidat. Est autem hoc. Alter, uter, alteruter idem de duobus officium praestant, quod alius, quis, aliquis de pluribus. Ut igitur alteruter constat ex alter et uter, ita aliquis ex alius vel potius alis et quis constare necesse est.

(Graff 4, 1205), quod valet unde et pro quo nunc dicimus von wannen, continet accusativum hwan i. e. quum. Neque desunt vestigia sensus illius in quum ipso. Ita intelligendum videtur in Cic. Or. pro Planc. 41 § 99 O acerbam mihi memoriam temporis illius et loci, quum hic in me incidit, quum complexus est conspersitque lacrimis nec loqui prae maerore potuit! Hic ut quum ad remotius tempus referatur, vix potest fieri. Similis locus est apud Ciceronem de Off. 3, 12 § 50. Incidunt saepe causae, quum repugnare utilitas honestati videatur, ubi quum est pro in quibus. Sed mittamus hanc rem, quae in nostra disquisitione tanti momenti non est.

Propriam particulae vim, quae similis est nostro wo, tum potissimum perspicere possumus, quum pertinet ad substantivum vel adverbium aliquod, ut tempus, saeculum, annus, dies, nox; tum, olim, nunc, nuper, de quibus infra amplius dicetur. Hoc loco pauca exempla sufficiant Cic. pro Ligar. 7 § 20 Ille eo tempore paruit, quum parere senatui necesse erat; vos tunc paruistis, quum paruit nemo, qui noluit. Id. Phil. 2, 2 § 4 Poteras autem eo tempore auguratum petere, quum in Italia C. Curio non esset? aut tum, quum es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses? Id. de Or. 2, 5 § 21 Hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire quam philosophum malunt. Id. Ep. ad Att. 15, 13 § 1 Quando illum diem, quum tu edendam (orationem) putes? Id. de Off. 2, 19 § 65 Eo tempore hoc contigit, quum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Id. pro Mur. 38 § 82 Qui locus est, quod tempus, qui dies, quae nox, quum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus non solum meo, sed multo etiam magis divino consilio eripiar atque evolem? Id. pro Planc. 26 § 65 At ego, quum casu diebus iis . . . Puteolos forte venissem, quum plurimi et lautissimi in iis locis solent esse, concidi paene. Ibid. 42 § 101. Memini, memini, neque unquam obliviscar noctis illius, quum tibi vigilanti, assidenti, maerenti vana quaedam miser atque inania falsa spe inductus pollicebar. Id. de Re publ. 2, 10 § 18 In id saeculum Romuli cecidit aetas, quum jam plena Graecia poetarum et musicorum esset. Id. ad Fam. 15, 14 § 1 Multi anni sunt, quum ille in aere meo est. Id. ad Att. 12, 18 § 1 Longum illud tempus, quum non ero, magis me movet quam hoc exiguum. Sic nos quoque adverbia nostra relativa wo, wenn, da adhibere possumus. Goethe : Ich war in den glücklichen Jahren, wo uns noch alles gefällt, wo wir in der Menge und Abwechslung unsere Befriedigung finden. Id. Die Zeit, da ich die Akademie besuchen sollte, rückte heran. Schiller : O schöner Tag, wenn endlich der Soldat ins Leben heimkehrt, in die Menschlichkeit.

In omnibus, quos attuli, locis latinis ablativus pronominis relativi pro quum poni potuisset, in nonnullis etiam per cum accusativo (cf. Cic. ad Fam. 15, 14 § 1; ad Att. 12, 18 § 1) et in simillimis sententiis modo unum modo alterum invenitur, cf. Cic. de Off. 1, 10 § 31 Incidunt saepe tempora, quum ea, quae maxime videntur digna esse justo homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria. Id. Phil. 2, 10 § 24 Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompejo suaserim. At, dixerit quis, si res sic se habet, quomodo quum accusativus esse potest? Respondeo : Idem cadit in tum et em, de quibus supra dictum, etiam tam et quam, quae valent tantopere et quantopere, sunt accusativi et tamen funguntur munere ablativi. Omnino autem obliviscendum non est, pronomina peculiaria multa et ad formam et ad usum ex antiquis temporibus servasse. Similis accusativus est primum, quod oppositum habet postremo. Id quoque animadvertendum est, linguam latinam non nimis severe regulam observare, quae de toto ac continuo temporis spatio accusativum, de parte temporis vel puncto ablativum poni jubet, ut Cic. de Nat. Deor. 2, 52 § 130 Aegyptum Nilus irrigat et, quum

tota aestate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit. Caes. B. C. 1, 46 Quum esset pugnatum continenter horis quinque. Ibid. 47 Quinque horis proelium sustinuerunt. Ex altera parte Cic. in Verr. 1, 10 § 28 Quum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur etc. Id. Ep. ad Att. 13, 33 § 4 Venit ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset (cf. Rudim. Instit. 2, 292). Liv. 6, 39 Nonum annum jam adversus optimates sto. Eodem pertinet accusativus adjectivi numeralis in constituendo mensis die, velut ante diem tertium Calendas pro die tertio ante Calendas, eodem, ut videtur, accusativus post abhinc. Commemorare etiam possum, quanquam non multum huic argumento tribuo, alias linguas illam temporis distinctionem non facere et in iis accusativum poni solere non modo quum interrogatur quam diu, sed etiam quando. Nos dicimus : Die Nacht ist er gekommen, sicut Die ganze Nacht hat er gewacht, et pro abl. nocte Graeci ponunt acc. *νύκτα* (Herod. 1, 181), Indi naktam, Francogalli la nuit. Et quum ipsum nonnunquam diuturnitatem temporis indicat locoque accusativi est, quod si fit, nos praepositionem während cum pronomine relativo possumus adhibere vel etiam conjunctionem während, prout quum adverbium vel conjunctio est. Ita quum usurpatum est in compluribus locis, quos supra attuli, ut Multi anni sunt, quum ille in aere meo est. Longum illud tempus, quum non ero, magis me movet quam hoc exiguum. In his accusativus quum non aliter se habet quam annum apud Cic. de Off. 1, 1 § 1 Annum jam audis Cratippum.

Restat, ut de genere masculino, quod est in quum, pauca dicam. De eo non posse dubitari, supra (p. 4.) demonstravi. Minus id nobis offensioni esset, si non consuessemus, quid esset supplendum, quaerere, quotiescunque casus aliquis pronominis vel adjectivi adverbialiter usurpatus est. Quanquam haec ratio improbanda mihi videtur, tamen ei hic indulgebo. Potest dici, substantivum locus esse omissum, quod temporis quoque notionem habuisse constat, cf. postea loci, interea loci, inde loci, ad id locorum, adhuc locorum (Haud Tursell. 3, 361 417; Rudim. Instit. 2, 316). Malim tamen, si modo quidquam supplendum est, supplere diem, quae vox saepissime significat tempus neque solum tum, quum generis feminini est. Aptissimum exemplum offert Cic. Divin. in Caecil. 13 § 41 Illius temporis mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit. Quo die hic esse positum pro quo tempore in ejusque locum et quum et quo posse substitui manifestum est. Cf. Cic. ad Fam. 7, 3 § 1 Solet in mentem venire illius temporis, quo proxime fuimus una. Variatio substantivi dies et tempus in illo loco eadem est, quae in hoc : Nulla causa est, quam ob rem hoc faciam. Quae dixi de forma ac vi particulae quum, eadem pertinent ad composita, quorum prior pars est quom vel cum. Sunt autem quoniam, quondam, quomque sive cunque, unquam, quae singula perlustrabo.

Quoniam conflatum est ex quom et jam, servata antiqua forma quom mutatoque m in n. Eodem modo, id quod Corssen (Kr. Beitr. p. 263) non debuit addubitare, m in n conversum est in nônus. Etenim ex novem primum novimus, ut septimus ex septem, decimus ex decem, deinde ex novimus nômus factum est, ut mômentum ex movimentum, postremo m in n transiit. Postquam autem quom et jam sic in unam vocem coaluerunt, novum haec induit sensum et nonnihil differt a quom vel quum jam. Interdum autem primitivam temporis notionem servavit, ut Cic. pro Leg. Man. 8 § 20 Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Hic valet postquam jam (cf. Festus p. 261 Müll.).

Quondam est pro quomdam ut quendam pro quemdam, servavitque formam quom, sicut quoniam. Est accusativus, et pertinet ad quidam quemadmodum quom ad qui. Propria ejus significatio est quodam tempore.

Quomque supra (p. 1) vidimus in omnibus inscriptionibus antiquissimis esse. Ex illa forma provenit cumque, cunque. Est et ipsum accusativus, pertinens ad quisque, et significat quoque tempore. Fere semper adhaeret pronominibus vel adverbiis relativis, quibus notionem attribuit universitatis. Sunt quicunque, utercunque, qualiscunque, quantuscunque, quotuscunque, quotcunque, quandocunque, quum . . . cunque (Lucr. 2, 114), quomodocunque, quocunque, ubicunque, undecunque, utcunque. Valet idem quod nostrum immer et anglicum ever, et quicunque respondet nostro wer immer, anglico whoever. Graeci quoque *ἀεί* eodem modo cum pronomine relativo junxerunt. Plato Gorg. 480 C. ***καὶ τῶν ἄλλων ὃς ἂν ἀεὶ τῶν φίλων τυγχάνῃ ἀδικῶν.*** Theaet. 146 A. *Ὁ δὲ ἁμαρτὼν καὶ ὃς ἂν ἀεὶ ἁμαρτάνῃ*, ibid. 197 D. *ἣν ἂν ἀεὶ ἐθέλῃ.* Cunque, id quod in quomodocunque jam vidimus, non raro uno vel pluribus verbis a relativo est separatum (cf. Neue Lat. Formenl. 2, 176, Hand Tursell. 2, 175, Ferd. Schulz Gramm. § 89) atque in vetustissimis titulis (v. p. 1) saepe etiam tum, quum pronomen relativum proxime praecedit, intervallo ab eo sejunctum apparet. Viri docti igitur, si veram hujus adverbii naturam perspexissent, non tantas difficultates, credo, invenissent in iis locis, in quibus adverbium cunque vel sine vocabulo relativo se ostendit vel cum eo connecti non potest. Hujusmodi exempla sunt Hor. Carm. 1, 32 O decus Phoebi et dapibus supremi grata testudo Jovis, o laborum dulce lenimen, mihi cunque salve rite vocanti. Lucr. 5, 312 Denique non monimenta virum dilapsa videmus? Quaerere proporro sibi cunque senescere credas. Id. 2, 20 Pauca videmus esse opus omnino, quae demant cunque dolorem. Id. 3, 549 Velut aures atque oculi sunt atque alii sensus, qui vitam cunque gubernant. Id. 6, 84 Sunt tempestates et fulmina clara canenda, quid faciant, et qua de causa cunque ferantur. Qua de causa hic interrogativum esse nulloque modo cum adv. cunque posse conjungi manifestum est. Omnino sic est intelligendum, ut quoque tempore in Cic. Divin. 2, 9 § 24 Sin autem certum est, quid quaque de re quoque tempore futurum sit, quid est quod me adjuvent haruspices, quum res tristissimas portendi dixerunt?

Quomquam vel cunquam non repperi, attamen has formas adverbio unquam subesse certum mihi videtur. Cunquam amisit c, quemadmodum ubi (cf. si-cubi), unde (cf. si-cunde), utrum (cf. ionic. *κότερον*). Descendit a quisquam et significat quoquam vel potius ullo tempore. Quae origo causa est, cur in sententiis vel negativis vel universe ac dubitanter affirmantibus locum habeat sicut quisquam. Cic. Tusc. Quaest. 1, 41 § 99 Nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire potest nec vivo nec mortuo, nec unquam ejus res a dis immortalibus neglegentur. Id. in Verr. 2, 6 § 17. Non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam generi hominum sive Siculorum sive nostrorum civium, si cuiquam ordini sive aratorum sive pecuariorum sive mercatorum probatus sit, si non horum omnium communis hostis praedoque fuerit, si cuiquam denique ulla in re unquam temperaverit: ut vos quoque ei temperetis. Id. pro Cael. 5, § 12 Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto. Id. in Verr. 5, 2 § 5 Nos enim nihil unquam prorsus audivimus. Id. de Harusp. Resp. 17 § 37 Quod quidem sacrificium ante P. Clodium nemo omni memoria violavit, nemo unquam adiit. Id. Cat. Maj. 19 § 69 Nec praeteritum tempus unquam revertitur nec quid sequatur sciri potest. Id. de Nat, Deor. 1, 41 § 116 An quicquam eximium potest esse in ea natura, quae sua voluptate laetans nihil nec actura sit unquam neque agat neque egerit? Id. Ep. ad Fam. 5, 21 § 2 Ego enim is sum, qui nihil unquam mea potius quam meorum civium causa fecerim. Caes. B. G. 1, 41 Se neque unquam dubitasse neque timuisse. Ibid. 3, 28 Morini Menapiique supererant, qui in armis essent neque ad eum unquam legatos de pace misissent. Ibid. 5, 17 Neque post id tempus unquam summis nobiscum copiis hostes contenderunt. Corn. Nep. Milt. 5 Nulla unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

Cic. Ep. ad Att. 4, 2 § 2 Si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si nunquam alias fuimus, tum profecto dolor et magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Id. Ep. ad Fam. 3, 8 § 5 Ego, si in provincia de tua fama detrahere unquam cogitassem, non generum tuum libertum Brundisii neque ad praefectum fabrûm Corcyrae, quem in locum me venire velles, rettulissem. Liv. 10, 14 Si quando unquam equestri ope adjutam rempublicam meminerint, illo die annitantur, ut ordinis ejus gloriam invictam praestent. Curt. 8, 45 § 15 ed. Mütz. Abire cum gloria poterant, si unquam temeritas felix inveniret modum. Cic. ad Fam. 3, 7 § 5 Nec mehercule aliter vidi existimare vel Cn. Pompejum, quem omnibus, qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. Liv. 21, 1 Bellum maxime omnium memorabile, quae unquam gesta sunt. Plura exempla colligere supersedeo, quippe quae ubique se offerant.

Summa eorum, quae in praecedentibus tractavi, haec est:

qui	quidam
{ quom, quum, cum } = quo tempore	{ quondam, pro quomdam } = quodam tempore
quisque	quisquam
{ quomque, cumque, cunque } = quoque tempore	{ unquam, pro cunquam } = quoquam vel ullo tempore.

Jam, priore parte hujus dissertationis absoluta, transeo ad alteram, in qua de usu syntactico particulae quum agatur.

Quum modo adverbium modo conjunctio est, et aptum utileque erit alterum ab altero dividere, quanquam me non fugit, ea interdum ita inter se contingere, ut discernere difficile sit.

I.

De adverbio quum.

Hunc locum ei tribuo, quotiescunque se applicat ad substantivum aliquod vel adverbium. Ut jam supra indicavi, reddi potest nostro wo. De actionibus praeteritis etiam als vel da potest adhiberi, de praesentibus et futuris wenn sive wann. Quando ad praecedens substantivum refertur, pronomen relativum cum apta praepositione eligi posse vix est quod dicam. Admittit tum et indicativum et conjunctivum omnium temporum sicut aliae sententiae relativae. Conjunctivus igitur ponitur, quando vel qualitas ejusque effectus vel causa vel contrarium aliquid praecedentibus indicatur. Hujusmodi tria exempla sunt: Cic. de Rep. 2, 10 § 18 In id saeculum Romuli cecidit aetas, quum jam plena Graecia poetarum et musicorum esset minorque fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. Id. pro Mur. 3 § 6 Quod si tum, quum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam; nunc, quum omnes me causae ad misericordiam atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturae meae consuetudinique servire? Id. pro Mil. 35 § 98 Quin hoc tempore ipso, quum omnes a meis inimicis faces invidiae meae subjiciantur, tamen omni in hominum coetu gratiis agendis et gratulationibus habendis et omni sermone celebramur. Cum his tribus diversi generis exemplis compares tria similia, in quibus loco adverbii relativi quum

pronomen relativum est. Corn. Nep. Ag. 3 Iis locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiae valerent. Cic. ad Fam. 7, 30 § 1. Fuit (Caninius) mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Id. de Or. 1, 18 § 82 Namque egomet, qui sero ac leviter graecas literas attigissem, tamen cum pro consule in Ciliciam proficiscens venissem Athenas, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus. Facile invenies eandem omnino esse rationem utrarumque sententiarum.

Conjunctivus etiam adhibetur, quum esse vel simile verbum, sive addito sive omisso substantivo tempus, antecedit, et dicitur fuit tempus quum vel fuit quum. Est idem, qui ponitur post sunt homines qui, vel sunt qui. Varro de R. R. 3, 11 Fuit tempus, quum rura colerent homines neque urbem haberent. Cic. de Or. 1, 1 § 1 Fuit, quum mihi quoque initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi fore justum et prope ab omnibus concessum arbitrarer. Neque mirum est, si, antecedente pronomine quidam, legimus apud Ciceronem de Inv. 1, 2 § 2 Fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant. Idem enim dicit de Fin. 5, 14 § 38 Sunt bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis. Etiam in hoc quum congruit cum pronomine relativo, quod conjunctivus semper post illud invenitur, si sententia antecedens negativa est. Cic. pro Mur. 38 § 82 Qui locus est, quod tempus, qui dies, quae nox, quum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus non solum meo, sed multo etiam magis divino consilio eripiar atque evolem? Cum hoc loco confer Cic. de Or. 1, 2 § 7 Quis est, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem?

Jam enumerabo substantiva et adverbia, quae quum antecedere solent, et unicuique eorum unum vel plures locos addam.

a) Substantiva usitatissima sunt:

Tempus, memoria, saeculum, annus, dies, nox. De his jam ante (p. 5) complures locos attuli, quibus adjicio Cic. pro Mil. 26 § 69 Erit, erit illud profecto tempus et illucescet aliquando ille dies, quum tu et amicissimi benevolentiam et gravissimi hominis fidem et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres. Id. pro Dom. 35 § 93 Si mihi ante haec durissima rei publicae tempora nihil unquam aliud objectum nisi crudelitas mea unius temporis, quum a patria perniciem depuli, quid? me huic maledicto utrum non respondere an demisse respondere decuit? Id. de Off. 1, 10 § 31 Incidunt saepe tempora, quum ea, quae maxime videntur digna esse justo homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria. Id. ad Att. 3, 3 Utinam illum diem videam, quum tibi agam gratias! Caes. B. G. 1, 40 Factum ejus hostis periculum patrum nostrorum memoria, quum, Cimbris et Teutonis a C. Mario pulsis, non minorem laudem exercitus quam ipse imperator meritus videbatur. Cic. pro Dejot. 6 § 17 Ego me hercules, Caesar, initio, quum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac sum suspicione percussus etc. Caes. B. G. 6, 24 Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent. Tempus supplendum est in his : Cic. de Or. 1, 1 § 1 Ac fuit, quum mihi quoque initium requiescendi . . . fore justum et prope ab omnibus concessum arbitrarer. Liv. 7, 32 Fuit, quum hoc dici poterat. Cic. pro Cluent. 30 § 82 Anni sunt octo (suppl. tempus), quum ista causa in ista meditatione versatur.

Id. de Off. 2, 21 § 75 Nondum centum et decem anni sunt, quum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est. Id. ad Fam. 15, 16 § 3 Jam biennium aut triennium est (suppl. tempus), quum virtuti nuntium remisisti. Plaut. Merc. 3, 1, 44 Illi quidem haud sane diu est quum dentes exciderunt. Et paulo ante : „Jam biennium est, quum mecum rem ille coepit“ et „Jam biennium est, quum tecum habet rem“. Caes. B. G. 1, 23 Omnino biduum supererat (suppl. ad tempus), quum exercitui frumentum metiri oporteret. Cic. Ep. ad Fam. 7, 28 § 1 Memini (suppl. temporis), quum mihi desipere videbare, quod cum istis potius viveres quam nobiscum (cf. Cic. Divin. in Caecil. 13 § 41; id. ad Fam. 7, 3 § 1). Itidem sich erinnern apud nos et *μεμνῆσθαι* apud Graecos constructa inveniuntur. Luther Jerem. 2, 2 Ich gedenke, da du eine freundliche junge Dirne und eine liebe Braut warst. Hom. Il. 20, 188 *ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε πέρ σε βοῶν ἄπο, μοῦνον ἐόντα, σεῦα κατ' Ἰδαίων ὀρέων.* Omnino autem Graeci *ὅτε* adverbio usi sunt, ut Latini quum. Plat. Alc. 1, p. 106 E. *ἦν χρόνος ὅτε οὐχ ἡγοῦ εἰδέναι.* Hom. Il. 6, 448 *Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή.* Xenoph. de Rep. Lac. 14 § 5 *Καὶ ἦν μέν, ὅτε ἐπεμελοῦντο, ὅπως ἄξιοι εἶεν ἡγεῖσθαι.*

In locis illis latinis videmus modo indicativum modo conjunctivum, de quo quae supra dixi, hic non repetam. Nonnunquam uterque modus, ut videtur, sine discrimine apparet et optio ex arbitrio loquentis pendet, quod optime hi duo loci possunt monstrare : Cic. de Off. 1, 10 § 31 Incidunt saepe tempora, quum ea, quae maxime videntur digna esse justo homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria. Ibid. 3, 12 § 50 Incidunt saepe causae, quum repugnare utilitas honestati videatur (cf. p. 5). Ejusdem generis conjunctivus sequitur pronomen relativum Cic. de Off. 3, 10 § 40 Incidunt multae saepe causae, quae conturbent animos utilitatis specie.

b) Adverbia usitatissima sunt :

Tum sive tunc quum; nunc quum. Cic. Tusc. Quaest. 1, 45 § 109 Mors tum aequissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Ibid. 4, 25 § 55 An tibi irasci tum videmur, quum quid in causis acrius et vehementius dicimus? Id. Lael. 19 § 70 Fructus ingenii et virtutis omnisque praestantiae tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur. Id. de Or. 2, 19 § 82 Ego mihi benevolum judicem facilius facere possum, quum sum in cursu orationis, quam quum omnia sunt inaudita; docilem autem non quum polliceor me demonstraturum, sed tum quum doceo et explano. Id. ad Fam. 6, 21 § 1 Quum aliquid videbatur caveri posse, tum id negligi dolebam; nunc vero eversis omnibus rebus, quum consilio profici nihil possit, una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre moderate. Id. ad Fam. 9, 16 § 7 Tum, quum rem habebas, quaesticulus te faciebat attentiorem; nunc, quum tam aequo animo bona perdas, non eo sis consilio etc. Id. pro Mur. 3 § 6 Quod si tum, quum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam et tam vehemens fui, quam cogebar; nunc, quum omnes me causae ad misericordiam atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturae meae consuetudinique servire? Ibid. § 8 Neque enim, si tibi tum, quum peteres consulatum, adfui, nunc, quum Murenam ipsum petas, adjutor eodem pacto esse debeo. Mommsen Inscr. Lat. Tit. 206 Tum, cum ea res consuleretur. Cic. in Verr. 4, 21 § 46 Credo tum, quum Sicilia florebat opibus et copiis, magna artificia fuisse in ea insula. Id. de Or. 2, 37 § 154 Referta quondam Italia fuit tum, quum erat in hac gente magna illa Graecia. Id. de Or. 1, 55 § 234

Quod jus civile tam vehementer amplexus es, video, quid egeris; tum, quum dicebas, videbam. Id. Phil. 13, 20 § 47 Pansa et Hirtius, qui quasi cornua duo tenuerunt Caesaris tum, quum illae vere partes vocabantur. Id. de Off. 3, 27 § 100 Tum, quum vigilando necabatur (Regulus), erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, perjurus consularis remansisset. Id. in Cat. 3, 2 § 3 Tum, quum ex urbe Catilinam ejiciebam . . . tum, quum illum exterminari volebam, aut reliquam conjuratorum manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Id. Tusc. Quaest. 5, 20 § 57 Ea ipsa, quae concupierat (Dionysius), ne tum quidem, quum omnia se posse censebat, consequebatur. Id. Phil. 2, 39 § 100 O praeclaram illam percursationem tuam mense Aprili atque Majo, tum quum etiam Capuam coloniam deducere conatus es! Id. Divin. 1, 17 § 30 Eo (lituo) Romulus regiones direxit tum, quum urbem condidit. Id. ad Fam. 7, 30 § 1 Nac tu videris multo ante providisse, quid impenderet tum, quum hinc profugisti. Id. ad Att. 10, 8 B § 1 Eadem (causa) tum fuit, quum ab eorum consiliis abesse judicasti. Id. de Fin. 5, 30 § 92 Ille, si sapiens, ne tum quidem miser, quum ab Oroete praetore Darei in crucem actus est. Id. Ep. ad Fam. 9, 7 § 1 Nunc, quum (Orell. quoniam) confecta sunt omnia, dubitandum non est etc. Id. Ep. ad Att. 11, 16 § 1 Nihil video quod sperandum putem, nunc praesertim, quum ea plaga in Asia sit accepta. Id. ad Att. 6, 1 § 13 Haec non noram tum, quum cum Democrito tuo locutus sum. Id. pro Leg. Man. 7 § 19 Tum, quum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse. Sen. Ep. 26 Quid egeris, tunc apparebit, quum animam ages. Cic. pro Quinct. 2, § 8 Ita fit, ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum adversarius nullum jecerit, illis autem id tempus impugnandi detur, quum vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit.

Ex his exemplis cognoscimus, tum quum omnia admittere tempora, nunc quum praesens et perfectum quod vocant absolutum. Tum quum, duobus locis exceptis, semper indicativum post se habet; nunc quum semel indicativum et semel conjunctivum perfecti temporis, quater conjunctivum praesentis et quidem in sententia alteri, ubi tum quum est, opposita. Ubi conjunctivus est, nunc et tum significant tali tempore. Indicativus tempus ipsum, conjunctivus statum potius vel causam indicat. Est tamen, ubi modus uterque sine ullo fere sensus discrimine ponatur. Perspicue id docent duo loci ex Ciceronis Or. pro Mur. allati, quibus addo duo alios, ubi indicativus et conjunctivus plane eodem sensu exsistunt. Cic. de Leg. Agr. 2, 24 § 64 Unum hoc certe videor mihi verissime posse dicere: tum, quum haberet haec res publica Luscinos, Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, verum etiam patientia paupertatis ornatos, et tum, quum erant Catones, Phili, Laelii, quorum sapientiam temperantiamque in publicis privatisque, forensibus domesticisque rebus perspexeratis, tamen hujusce modi res commissa nemini est. Id. in Pis. 13 § 29 An tum eratis consules, quum, quacunque de re verbum facere coeperatis aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat ostendebatque nihil esse vos acturos, nisi prius de me rettulissetis? quum vos, quanquam foedere obstricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, sed lege impediri? Eadem variatio infra nobis occurret. Discrimen sensus qui volunt explorare, argutius quam rectius facere mihi videntur. Licuit Romanis constructionem hic variare eademque libertate usi sunt, qua alias. An quisquam censet genitivum et ablativum junctos diversa significare in his locis: Cic. Brut. 67 § 237 P. Murena mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum, literarum et studiosus et non imperitus, multae industriae et magni laboris fuit. Id. ad Fam. 4, 8 § 1 Neque monere

te audeo praestanti prudentia virum nec confirmare maximi animi hominem. Corn. Nep. Dat. 3 Thyum, hominem maximi corporis terribilique facie . . . optima veste texit.

Atque adeo Romani variandi causa post tum quum conjunctivo imperfecti plus solito tribuisse videntur. Etenim post tum quum conjunctivus imperfecti non usitatior est quam indicativus imperfecti post conjunctionem quum. Idque simul documento est, Romanos ipsos discrimen statuisse inter adverbium quum et inter conjunctionem quum.

Quum — tum sive tunc. Est eadem inversio, quae fit, quando pronomen demonstrativum relativo postponitur, ut sententiae primariae praecipua vis tribuatur. Cic. ad. Fam. 14, 3 § 4 Quum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Ibid. 16, 12 § 6 Si valebis, quum recte navigari poterit, tum naviges. Id. in Verr. 5, 10 § 27 Quum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur. Liv. 21, 18 Quum senatus datus esset . . . tum ex Carthaginiensibus unus. Plerumque autem quum — tum ita usurpatur, ut duae res vel actiones conveniant, plus tamen ponderis alteri tribuatur, scilicet ei, quae ad tum pertinet. Est enim enuntiatio principalis. Si igitur Cic. ad Fam. 14, 3 § 2 dicit : Quum dolore conficior, tum etiam pudore, hoc nihil aliud est quam : Quo tempore dolore conficior, eo etiam pudore, i. e. eodem tempore dolore et etiam pudore conficior, vel simul dolore, simul etiam pudore conficior. Posterius hoc tantum differt, quod magnitudinem doloris et pudoris aequat neque pudorem dolore esse majorem exprimit. Memorabile et ex re mea est, apud Livium 3, 50 pro tum esse simul : Immixti turbae militum togati quum eadem illa querendo . . . simul profligatam jam rem nuntiando Romae esse . . . perpulerunt, ut ad arma conclamaretur. In hujusmodi sententiis quum saepe cum conjunctivo construi notum est. Quod fit, si et primaria et secundaria enuntiatio suum quaeque verbum habet, et altera alteri ita opponitur, ut prior generale, posterior singulare quid ejusdemque generis exprimat. Nostrum zwar — aber et latinum etsi — tamen (cf. Cic. Ep. ad Fam. 3, 9 § 2) fere idem valent. Cic. pro Mur. 27 § 56 Quae quum sint gravia, tum illud acerbissimum est, quod etc. Id. ad Fam. 9, 14 § 4 Quum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Id. de Off. 1, 2 § 4 Quum multa sint in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata, latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Id. pro Sest. 1 § 2 In quo quum multa sint (Orell. sunt) indigna, tum nihil minus est ferendum quam quod etc. Id. de Nat. Deor. 1, 1 Quum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobscura quaestio est de natura deorum. Id. Lael. 7 § 23 Quum plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur.

Nuper quum. Cic. de Or. 3, 61 § 229. Ego vero esse jam judico et tum judicavi, quum me consule in senatu causam defendit Africae nuperque etiam magis, quum pro Bithyniae rege dixit. Id. ad Att. 1, 4 § 1 Nuper quidem, quum jam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem rejecti sumus. Liv. 28, 42 In eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus, quum Hasdrubal in Italiam transcendit.

Olim quum. Cic. ad Fam. 7, 24 § 1 Olim, quum regnare existimabamur, non tam ab ullis quam hoc tempore observor a familiarissimis Caesaris omnibus praeter istum. Plaut. As. 1, 3, 53 Longe aliam, inquam, praebes nunc, atque olim, quom dabam. Terent. Andr. 3, 3, 13 Alium esse censes nunc me atque olim, quom dabam? Id. Phorm. 5, 8, 19 Olim quom honeste potuit, tum non est data; nunc viduam extrudi turpest.

Antea quum; postea quum. Cic. ad Att. 11, 4 § 1 Non enim ea sunt, quae erant antea, quum, ut nihil aliud, comites me et socios habere putabam. Id. in Verr. 3, 41 § 94 Antea quum equester ordo judicaret, improbi et rapaces magistratus in provinciis inserviebant publicanis. Id. ad Fam. 2, 19 § 1 Postea quum mihi nihil neque a te ipso neque ab ullo alio de adventu tuo scriberetur, verebar, ne id ita caderet. Caes. B. C. 2, 17 Postea vero, quum Caesarem ad Massiliam detineri cognovit . . . se quoque ad motus fortunae movere coepit.

Quotidie quum; saepe quum; unquam quum. Cic. pro Mil. 5 § 12 Quotidie meam potentiam invidiose criminabatur, quum diceret, senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem decernere. Corn. Nep. Cim. 4 Saepe, quum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Huc pertinent etiam, ni fallor, ii loci, in quibus quum ex verbo audio videtur pendere. Cic. de Or. 1, 28 § 129 Saepe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem. Ibid. 2, 6 § 22 Saepe ex socero meo audivi, quum is diceret etc. Ibid. 2, 33 § 144 Jam id quidem saepe ex eo audivi, quum diceret sibi certum esse a judiciis causisque discedere. Id. Brut. 56 § 205 Saepe ex eo audivi, quum se scribere neque consuesse neque posse diceret. Id. pro Dom. 35 § 93 Quis unquam audivit, quum ego de me nisi coactus ac necessario dicerem? Id. ad Fam. 3, 7 § 4 A Pausania, Lentuli liberto, accenso meo, audivi, quum diceret, te esse questum, quod tibi obviam non prodissem. Id. de Fin. 1, 5 § 16 Nisi mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, quum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt. In ultimis duobus locis supplendum est adverbium temporale indefinitum aliquando vel aliquoties eodem modo, quo saepe pronomen indefinitum aliquis, aliquid ante relativum. Conjunctivus, quem in his omnibus locis deprehendimus, ex repetita actione redundare mihi videtur eoque, uti postea videbimus, ne Cicero quidem se abstinuit.

II.

De Conjunctione quum.

Conjunctio quum significat tria: Tempus, causam, oppositionem.

a) De quum temporali.

Quum temporalis sunt duo genera, unum de actione semel facta, alterum de actione repetita.

1) De quum temporali, quod pertinet ad actionem semel factam.

Quum temporale de una actione adhibitum nostra lingua variis conjunctionibus exprimit. Sunt autem: Wenn sive wann, als, da, während, interdum sobald als. Pro als vel da saepe dici posse nachdem, per se intelligitur. Antequam autem latinum quum aggredior, necessarium mihi videtur, pauca de illis particulis germanicis praemittere, quae saepe neque recte neque distincte capiuntur, id quod ad perspiciendam adhibendamque particulam quum non leve impedimentum est. Primum omnium animadvertendum est, wenn et wann non esse, ut vulgo existimatur, diversas voces, sed diversas formas ejusdem vocis. Resque sic se habet:

Ahd. hwanne sive hwenne, mhd. wanne sive wenne (Graff 4, 1201, Benecke 3, 502, Grimm Gramm. 3, 181 182) sunt simul interrogativa et relativa et significant modo quando? modo quum. Luther in utroque sensu solo wenn usus est. Postea vero coeperunt wann ad interrogationem adhibere, nonnunquam etiam ad quum temporale exprimendum. Ad hoc tamen optimi scriptores nostri non multum eo utuntur. In consuetudine est sic apud Germanos, qui spectant in meridiem, ii autem, qui ad septentriones incolunt, solum wenn dicunt. Istud wenn (neque enim de conditionali wenn loquor neque de eo, quod de actionibus repetitis usurpatur) non construitur cum temporibus praeteritis, sed tantum cum praesente, futuro eoque perfecto, quod respondet latino futuro exacto. Altera ex parte als et da (de causali da hic non agitur) sola praeterita tempora patiuntur in hisque vice particulae wenn funguntur. Dicimus igitur : Wir werden reisen, wenn der Frühling kommt, kommen wird, gekommen ist; altera ex parte : Als vel da der Frühling kam, gekommen war, reisten wir. Nostrum während pro wenn et als poni potest, si actio durat, admittitque omnia tempora aeque ac sobald als.

Latinum quum temporale cum omnibus temporibus conjungitur. Ejus modus est indicativus, nisi imperfectum aut plusquamperfectum sequitur, quae conjunctivum vindicant. Haec quidem nota sunt. Est autem, ubi conjunctivus imperfecti locum habere non possit, sed indicativus aut imperfecti aut perfecti necessarius sit, quae quidem res omnino neglecta est in grammaticis.

Conjunctivus imperfecti vel plusquamperfecti necessario ponitur, si quid prius vel orsum vel confectum est, quam illud, quod sententia primaria enuntiat, simulque antecedens actio causa vel occasio consequentis est. Si igitur dicitur : Pater, quum domum redisset suosque videret, magnopere gavisus est, patris reditus confectus suorumque visus orsus erat, quum gavisus est. Sed etiam causa vel occasione non accedente, praesertim si enuntiatio, particulae quum adjuncta, primum locum tenet, conjunctivum imperfecti et plusquamperfecti Romani adhibere consueverunt, velut : Quum proelium commissum esset, ingens tempestas coorta est. In ejusmodi autem sententiis etiam indicativus invenitur et interdum juxta conjunctivum. Cic. de Fin. 2, 19 § 61 Num etiam ejus collega P. Decius, princeps in ea familia consulatus, quum se devoveret et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat? Quibuscum confer Tusc. Quaest. 2, 24 § 59 Fulgentes gladios hostium videbant Decii, quum in aciem eorum irruebant. Liv. 30, 44 Itaque quum spolia victae Carthagini detrahebantur, quum inermem jam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africae cerneretis, nemo ingemuit. Varro de L. L. 6 § 95 p. 274 Speng. Id inceptum credo, quum non adesset accensus et nihil intererat, quoi imperaret (cf. p. 11).

Sin autem enuntiatio, ad quam quum pertinet, exprimit aliquid, quod non prius factum est, quam illud, quod enuntiatio primaria continet, indicativus aut imperfecti aut perfecti locum habet. Imperfectum adhibetur, quum actio sententiae primariae et secundariae per idem temporis spatium durat; perfectum, quum illa non simul cum altera moratur, sed subito incidit citoque praeterit. In enuntiatione primaria aut imperfectum est aut plusquamperfectum, quod, si altera enuntiatio imperfectum habet, statum indicat rem perfectam subsecutum. Ad rem illustrandam quum maxime duo loci Caesaris accomodati sunt : B. G. 6, 12 Quum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Haedui, alterius Sequani; ibid. 7, 6 Eo quum venisset, magna difficultate adficiebatur. Factiones prius erant, quam Caesar venit, difficultas autem non prius erat, quam venit, imo adventum secuta est. Sic etiam omnes eae sententiae sunt intelligendae, quarum causa singularis regula inventa et inversio statuta est, ut : Vix veneram, quum vidi.

Non alienum erit, id genus exempla aliquot, in quibus quum, prout res postulat, modo cum imperfecto modo cum perfecto indicativi constructum est, colligere.

Exempla imperfecti : Cic. ad Fam. 3, 13 § 2 Quum haec scribebam, censorem jam te esse sperabam. Corn. Nep. Att. 9 Quae quum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. Plaut. Amph. 1, 1, 45 Nam quom pugnabant illi maxume, ego fugiebam maxume. Liv. 35, 8 Quum haec in Hispania gerebantur, comitiorum jam appetebat dies. Id. 36, 5 Quum haec Romae agebantur, Chalcide Antiochus, ne cessaret per hibernorum tempus, partim ipse sollicitabat civitatium animos mittendis legatis, partim ultro ad eum veniebant. Cic. ad Fam. 1, 1 § 1 Res agitur per eosdem creditores, per quos, quum tu aderas, agebatur. Id. Tusc. Quaest. 2, 24 § 59 Fulgentes gladios hostium videbant Decii, quum in aciem eorum irruebant. Id. ad Fam. 12, 6 § 2 Res, quum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Non aliter intelligendi sunt hujusmodi loci : Cic. in Verr. 5, 62 § 162 Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, quum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec : Civis Romanus sum. Ibid. 1, 6 § 17 Nulla nota, nullus color, nullae sordes videbantur his sententiis allini posse, quum iste repente ex alacri atque laeto sic erat humilis atque demissus, ut etc. Ibid. 5, 34 § 88 Evolarat jam e conspectu fere fugiens quadriremis, quum etiam tum ceterae naves uno in loco moliebantur. Liv. 25, 24 Jam mille armatorum ceperant partem, quum ceterae admotae pluribusque scalis in murum evadebant. Id. 35, 2 Nondum ab Roma profectus erat C. Flaminius praetor, quum haec in Hispania gerebantur. Quater videmus in enuntiatione principali plusquamperfectum logicum, quod, uti jam supra dictum est, indicat statum, qui rem perfectam subsecutus est. Facile aliud verbum invenitur, cujus imperfectum in locum illius plusquamperfecti substituatur. Pro res erat in extremum adducta discrimen, jam evolarat quadriremis, jam mille armatorum ceperant partem, nondum ab Roma profectus erat Flaminius, potest dici : Res erat in extremo discrimine, jam quadriremis aberat, jam mille armatorum tenebant partem, etiam tum Romae erat Flaminius. Ab hac parte discedere non possum, quin hujusmodi locum afferam, ubi quum contra regulam sequitur conjunctivus. Cic. Ep. ad Att. 15, 13 § 7 Haec quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. In loco plane simili, supra allato ex Epist. ad Fam. 3, 13 § 2 est quum scribebam.

Exempla perfecti : Caes. B. G. 6, 12 Quum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Haedui, alterius Sequani. Cic. ad Fam. 9, 7 § 1 Coenabam apud Sejum, quum utrique nostrum redditae sunt a te literae. Liv. 22, 1 Jam ver appetebat, quum Hannibal ex hibernis movit, cf. cum hoc loco supra citatum ex Liv. 35, 8 Quum haec in Hispania gerebantur, comitiorum jam appetebat dies. Cic. de Republ. 1, 12 § 18 Dixerat hoc ille, quum puer nuntiavit venire ad eum Laelium. Id. pro Mur. 28 § 58 Bis consul fuerat P. Africanus et duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque, deleverat, quum accusavit L. Cottam. Liv. 24, 29 Dies haud ita multi intercesserant (alii intercesserunt, quod falsum), quum ex Leontinis legati, praesidium finibus suis orantes, venerunt. Plerumque hae sententiae ita comparatae sunt, ut enuntiatio incipiens a quum sequatur alteram praecipuamque vim accipiat adverbiis temporis adjectis, quae subitum et improvisum aliquid exprimunt. Id ubi non fit, haud magno discrimine dicitur : Quum profecti sunt, nox erat, nondum illuxerat, vel nox erat, nondum illuxerat, quum profecti sunt.

Fit etiam, ut quum conjungatur cum perfecto indicativi enuntiatioque primaria et ipsa hoc tempus secum habeat. Tum ambae actiones in idem temporis momentum incidunt vel altera

alteram continuo sequitur. Corn. Nep. Pelop. 2 Quum tempus est visum rei gerendae, communiter cum iis, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos. Id. Iphicr. 2 Quum Artaxerxes Aegyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem. Id. Dat. 11 Id quum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse majores exercitus parari. Cic. de Fin. 5, 30 § 92 Ergo Polycrates infelix una molestia, felix rursus (sc. fuit), quum is ipse anulus in praecordiis piscis inventus est? In omnibus istis locis quum idem valet, quod quum primum, qui sensus alias quoque inest in quum (cf. Ferdin. Schultz Gramm. § 327, 2; 360; Krüger Gramm. § 623). Neque hoc mirum, quandoquidem ceterae hujus sensus particulae, simul ac, ut, ubi, idem significant, sive primum adest sive deest.

2) De quum temporali eo, quod pertinet ad actionem repetitam.

Id nos semper conjunctione wenn reddimus. In lingua latina cum omnibus temporibus construitur regitque indicativum. Imperfectum tamen et plusquamperfectum simul conjunctivum admittunt isque vel apud optimos scriptores invenitur. Ubi perfectum apparet, in altera sententia praesens est. Cic. pro Rosc. Amer. 37 § 105 Soletis, quum aliquid hujuscemodi auditis, continuo dicere etc. Id. Ep. ad Att. 9, 6 § 5 Eas (epistolas) quum lego, minus mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego. Id. Tusc. Quaest. 1, 11 § 24 Dum lego, assentior, quum posui librum et mecum ipso de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur. Id. Brut. 4 § 16 Ager, quum multos annos quievit, uberiores ferre fruges solet. Id. de Off. 2, 6 § 19 Quum fortuna reflavit, affligimur. Id. de Divin. 2, 9, 24 Quid est quod me adjuvent haruspices, quum res tristissimas portendi dixerunt? Id. ad Fam. 9, 14 § 1 Neminem conveni, quin omnes, quum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. Liv. 22, 9 Pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi quum taetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. Caes. B. G. 5, 21 Oppidum autem Britanni vocant, quum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt. Cic. Tusc. Quaest. 1, 19 § 44 Profecto beati erimus, quum corporibus relictis et cupiditatum et aemulationum erimus expertes. Id. de Fin. 1, 19 § 63 Etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quid natura desideret. Id. Acad. Quaest. 1, 3 § 11 Haec ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. Caes. B. G. 5, 35 Quum quaepiam cohors ex orbe excesserat atque impetum fecerat, hostes velocissime refugiebant. Ibid. Rursus, quum in eum locum, unde erant egressi, reverti coeperant, et ab iis, qui cesserant et ab iis qui proximi steterant, circumveniebantur. Ibid. 7, 16 Dispersos, quum longius necessario procederent, adoriebatur. Ibid. 3, 12 Erant ejusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis promuntoriisque neque pedibus aditum haberent, quum ex alto se aestus incitavisset . . . neque navibus. Cic. in Verr. 4, 20 § 44 Licuit posse domesticis copiis, quum magistratum aut aliquem superiorem invitasset, ornare et apparare convivium (cf. p. 13). Plura exempla conjunctivi imperfecti et plusquamperfecti afferre supersedeo. Apud Corn. Nepotem quidem et Livium sunt frequentissima.

b) De quum causali.

Is sensus ex notione temporali provenit, quod idem in nostrum da cadit. Hoc et illud omnia admittunt tempora. Latinum quum causale postulat conjunctivum neque tamen ita, ut

indicativus omnino respuatur. Plurima vero, quae huc trahuntur, alio pertinent, i. e. in regionem quum temporalis. Facillime id intelligitur, si loco conjunctionis quum ponimus postquam, quod alias quoque saepissime fieri potest, nosque dicimus nachdem. Hujusmodi exempla sunt: Plaut. Capt. 5, 1, 1 Jovi disque ago gratias merito magnas, quom te reducem tuo patri reddiderunt, quomque ex miseris plurimis me exemerunt, quae adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam, quomque hunc conspicio in potestate nostra, quomque haec repertast fides firma nobis. Cic. ad Fam. 13, 24 § 2 Tibi maximas gratias ago, quum tantum literae meae potuerunt. Ibid. 9, 14 § 3 Gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam. Id. pro Mil. 36 § 99 Te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum. Id. ad Fam. 11, 2 § 1 Haec profecto, quum (Orell. quoniam) istum animum habes, in optimam partem accipies. Ibid. 15, 14 § 3 Id quum (Orell. quoniam) non accidit, utemur bono literarum. Ibid. 16, 12 § 6 Tu, quum (Orell. quoniam) eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam et fidelitatem desideravi tuam, cave festines. Id. Phil. 14, 11 § 30 Quam fidem quum (Orell. quoniam) difficillimo rei publicae tempore secuti sunt, eos nunquam oportebit consilii sui paenitere. Id. de Off. 3, 12 § 51 Vendo meum (frumentum) non pluris quam ceteri, fortasse etiam minoris, quum major est copia. Plaut. Trin. 5, 2, 46 Quom ille itast, ut eum esse nolo, id crucior. Id. Men. 2, 2, 29 Ei mihi, quom nihil est, qui illic homini dimminuam caput. Terent. Andr. 3, 5, 16 Ei mihi, quom non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo. Cic. pro Quinct. 20 § 65 Quod quum ita est (Orell. sit), ex edicto bona possessa non sunt. Contra codicum auctoritatem nihil in his mutaverim. Neque enim putandum est, quemquam tam perversum vel negligentem fuisse, qui, si invenisset verba: Quod quum ita sit, hoc sit in est converteret. Ubi perfectum est, nos facilius quum, sic cum indicativo constructum, comprehendimus, major nobis exsistit difficultas, ubi praesens est, quanquam ratio est eadem. Atque nihil differt a postquam in hisce locis: Liv. 21, 13 Postquam nec ab Romanis vobis ulla spes est, nec vestra jam aut arma vos, aut moenia satis defendunt, pacem affero ad vos magis necessariam, quam aequam. Plaut. Capt. 3, 1, 27 Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier. Tertius post hunc versus in editione Basil. an. 1523 sic legitur: Nunc redeo inde, quom me ibi video ludificarier. Si scriptura quom pro quoniam recta sit, opportunum hoc opinioni meae adminiculum esse possit.

Jam dicendum est de illo quum, quod reddere solemus nostro dadurch dafs, indem. Ita si quum usurpatum est, utrumque verbum sententiae primariae et secundariae idem habet tempus, eundem modum, fere semper etiam eandem personam. Quod autem utrumque verbum semper ejusdem est temporis, id per se ipsum indicio est, causale illud quum revera esse non posse, siquidem causa est antecedens, effectus consequens. Eo potius judicium factum explanatur ambaeque enuntiationes exprimunt aliquid, quod, dicentis quidem sententia, et tempore et sensu congruit. Cic. in Verr. 5, 37 § 96 Quum in portum dico, in urbem dico. Id. pro Roscio Am. 19 § 54 Concedo tibi, ut ea praetereas, quae, quum taces, nulla esse concedis. Ibid. 21 § 58 Quum hoc modo accusas, nonne hoc palam dicis etc. Id. in Pis. 7 § 14 Quae quum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore consul futurus. Id. de Fin. 3, 2 § 9 Praeclare facis, quum et eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi testamento liberos suos commendavit, et puerum diligis. Plaut. Mostell. 3, 2, 25 Amice facis, quom me laudas. Id. Mil. Glorios. 4, 2, 78 Facis nunc, ut te facere aequomst, quom, quae illaec volt, eadem tu vis. Id. Mostell. 1, 3, 12 Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tute es. Cic. ad Herenn. 4, 50 § 63 Bene facitis, quum venitis. Id. in Cat. 1, 8 § 21 De te autem quum quiescunt, probant, quum patiuntur, decernunt, quum tacent, clamant. Terent. Andr. Prol. 18

Qui quom hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium accusant. Cic. in Verr. 2, 11 § 29 Sed tu, quum et tuos amicos in provinciam quasi in praedam invitabas et cum iis ac per eos praedabare et eos in contione anulis aureis donabas, non statuebas tibi non solum de tuis, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam? Id. de Off. 3, 10 § 40 Quum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuste. Id. de Or. 2, 25 § 106 Quum L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id jure pro salute patriae factum esse dicebat. Id. pro Leg. Man. 1 § 2 Quum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, et quid de me judicaretis et quid aliis praescriberetis. Id. Tusc. Quaest. 2, 12 § 28 Qua re satis mihi dedisti, quum respondisti majus tibi videri malum dedecus quam dolorem. Id. ad Fam. 16, 16 § 1 Mihi gratissimum fecisti, quum eum nobis amicum quam servum esse maluisti. Id. pro Planc. 17 § 42 Quum has tribus edidisti, ignotis te judicibus uti malle quam notis indicavisti. Id. ad Att. 7, 3 § 5 Quem quum ornavit Cato, declaravit iis se solis non invidere, quibus nihil aut non multum ad dignitatem posset accedere. Id. ad Fam. 11, 4 § 2 Quod quum feceris (Orell. facies, quod improbandum), ex magna parte communi commodo inservieris. — Cic. pro Leg. Man. 20 § 59 Cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, quum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis. Terent. Andr. 2, 5, 10 Facis, ut te decet, quom istuc, quod postulo, impetro cum gratia. In his duobus locis postremis persona variat.

c) De quum opposito.

Id quoque ex quum temporali manavit maximeque nostro während respondet. Praeter hanc aliasque conjunctiones adversativas adhibemus etiam da adjecto doch, nonnunquam solum da, ut Goethe dicit (7, 84) : du machst mich gar zum Diebe, da du die Diebin bist. Quum adversativum constanter fere conjunctivum sustinet. Indicativus tamen est in his duobus locis : Cic. ad Fam. 3, 7 § 5 Quum ea consecutus nondum eram, quae sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum admiratus. Sallust. Conj. Cat. 20 Quum tabulas signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa libidine divitias suas vincere nequeunt.



I. Schulnachrichten.

1. Die Lehre *).

a. Darstellung im Einzelnen.

Erste Classe.

Religionslehre: a) evangelische, 2 St. **Glaser**: Christliche Sittenlehre nach Palmers Lehrbuch Th. 1. §. 207 bis Ende. Die evangelischen Perikopen nach der Ordnung des Kirchenjahres, desgleichen ausgewählte Stücke des A. T. gelesen und erklärt. — b) katholische, 2 St. **Rady**: Die Lehre von Gott und seinen Eigenschaften, von der Person Jesu Christi und dem Erlösungswerke, von der Stiftung der Kirche durch Jesus Christus und dem Primate.

Lateinisch: 8 St. **Geist**: Cicero's Rede pro Milone und ausgewählte Briefe, lateinische Stilübungen, bestehend in Aufsätzen, Exercitia pro loco und domestica. 2 St. **Beck**: Ausgewählte Oden und Satiren des Horaz.

Griechisch, 4 St. **Geist**: Sophokles Oedipus Rex, Herodot VIII. und IX. 2 St. **Beck**: Homers Ilias II. III. und XIX—XXIII.; im Sommer 1 St. **Soldan** II: Exercitia.

Deutsch, 3 St. **Soldan**: Aufsätze über gegebene Themata; Einiges aus der Rhetorik; Lectüre und Erklärung poetischer Stücke. 1 St. **Geist**: Litteraturgeschichte.

Französisch, 2 St. **Hainebach**: Bonaparte en Egypte et en Syrie von Thiers. Aus dem Deutschen übersetzt nach Noiré, 2 Th., S. 82—93. Exercitia pro loco.

Geschichte, 3 St. **Soldan**: Neuere Geschichte von der Reformation an, insbesondere deutsche, französische und englische Geschichte.

Mathematik, 4 St. **Naumann**: Ebne Trigonometrie. Quadratische Gleichungen. Gleichungen ersten Grades mit mehreren Unbekannten. Arithmetische und geometrische Reihe. Zinses-Zins und Rentenrechnung; Permutationen und Combinationen; Aufgaben aus der Wahrscheinlichkeitsrechnung; binomischer Lehrsatz.

Naturwissenschaft, 1 St. **Naumann**: Eigenschaften des Wassers; mathematische Geographie.

Zweite Classe.

Religionslehre: a) evangelische, 2 St. **Glaser**: Geschichte der christlichen Kirche von der Reformation bis auf die neuere Zeit nach Palmers Lehrbuch §. 141 bis zu Ende. Lectüre ausgewählter Abschnitte des A. u. N. T. — b) katholische, wie in der ersten Classe.

Lateinisch, 10 St. **Soldan**: Sallust Jugurtha. Virgil Aeneide I. Uebersetzungen aus dem Deutschen ins Lateinische nach Bomhardt. Exercitia pro loco. Grammatik nach Krebs §. 289—388.

Griechisch, 6 St. **Beck**: Homers Odyssee XVIII—XXI. Xenophons Anabasis VI u. VII. Syntax nach Curtius §. 507—643 und Repetition der Formenlehre. Uebersetzungen aus dem Deutschen nach Dictaten.

Deutsch, 3 St. **Glaser**: Aufsätze über gegebene Themata, Declamationsübungen, Lektüre und Erklärung von Stücken aus deutschen Classikern.

---

*) Die Lehrstunden, bei welchen im Laufe des Schuljahres ein Wechsel der Lehrer Statt gefunden, sind hier unter dem Namen derjenigen Lehrer aufgeführt, welche dieselben im zweiten und dritten Quartal des Schuljahres gegeben haben; über die vor- und nachher Statt gehabten Veränderungen s. unten Chronik.